



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

XI. Christus Ostium omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

CAPVT XI.

Christus, Ostium ouium.

785 **O**c se nomine Christus ipse donat Io. 10. Nec alius est Christus, aliud Iesus, aliud ostium, vt dixisse Hæreticos, refert ac reiecit Cyrillus Catech. 10. sed ipse vnus Christus est ostium. Et quia per se patet, oues Christi idem esse quod electos, (nam reprobi velot hædi habentur,) idcirco idem est esse caput prædestinatorum, & esse ostium ouium. Vt proinde merito continenter ad titulum *capitis electorum*, aggregemur agere de Christo *ostio ouium*, de quo Interprete Ioann. 10. & plenè Rutilius Benzoni in speculo Episcoporum lib. 1. disp. 1. quæst. 2. Nos pauca libabimus.

Varia in scripturis & PP. Ostia ouium.

Et sunt quidem alia præterea nonnulla, quibus in sacris Litteris nomen *Ostij ouium* accommodatur. Sic enim Scripturæ quæ testimonium de Christo perhibent, quia nos ducunt ad Deum, & quasi aperiunt viam ad ipsum, nomine *ostij* donantur, vt S. Chrysost. hom. 58. in Ioan. pendit: traditque etiam S. Greg. 19. Moral. c. 13. & hom. 3. ac 15. in Ezech. explanans portas tabernaculi, de Lege & Prophetis. Ecclesia item *ostium* dicitur his verbis à S. Gregorio in c. 8. Cant. [Ostium esse Ecclesiam dicimus, quam ab ipso Christo potestatem aperiendi & claudendi accepisse scimus. Ostium proculdubio in suis prædicationibus existit, quia per eos aditus ad vitam se vobis aperit. Vnde & ipsi primo Pastori Ecclesiæ dicitur, *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Vel ostium in ipso capite suo existit, quia ipse de se veraciter dicit, *Ego sum ostium.* Ostium verò tabulis cedrinis compingitur, quia Sancta Ecclesia fidem prædicans, multitudinibus populorum decoratur, & dum populi varijs virtutibus asperguntur, vt videlicet alius de rebus quas possidet indigentibus necessaria tribuat; alius omnia obiciens, etiam à legitimo connubio se abstineat; alius verò tantum proficiat, vt aliorum etiam prædicatis fiat: tanquam pictura multis coloribus, sic Ecclesia multis distinctionibus honestatur. Sed & Baptismus iuxta Rupertum, ad lib. 3. Regum c. 10. *Ostium* est. Tria alia *Ostia* profert his verbis S. Bernardus in Sententijs. [Ostia per quæ transitur ad vitam, tria sunt; si dei veritas, terræ quam Sarræ rident: ipsi firmitas, quæ est in latere arcæ, charitatis soliditas, quam obseruat Cherubim cum flamme gladio.] Consonat D. Greg. qui homi. 19. in Ezech. has esse ait tres portas cælestis attrij.

Secernit alia variâ ad Deum ostia. Gilbertus ferm. 44. in Cant. & breuiter Origenes lib. contra Celsum, ybi cum Celsus Christianis obiecit, portas patentes ab eis iactatas, sic respondit [Portas verò sponte apertas, verisimile est dici à quibusdam alludentibus ad illud Psalmi,

Theoph. Raynandi de Attrib. Christi.

Aperite portas iustitiæ, vt ingressus confitear Domino. Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam. Ac rursum in nono Psalmo sic legitur: *Qui exultauit me de portis mortis, vt annunciem omnes laudes tuas, in portis filia Sion.* Vbi porta mortis significant peccata quæ ducunt ad interitum; sicut è contrario per portas Sion, intelliguntur bona opera. Eodem modo & portæ iustitiæ, dicuntur quasi portæ virtutis. Hæc sponte aperiuntur virtutem conlectantibus. Beata Virgo frequentissime *Cæli porta*, & *Lanna Cæli*, atque aded *ostium ouium* dicitur: de quo prolixè Benzoni in Plal. 86. c. 15. Breuiter verò Richard. c. 39. in Cant. in fine. Et Procius in homilia quam habuit in Concilio Ephesino, vocans Virginem salutis *ostium*. Alter Richardus plenissimè lib. 5. de Deipara pag. 78. & lib. 10. à pag. 627.

Christus propriissimè Ostium ouium.

786 Sed nihil aded frequenter, vel aded aptè ac verè nomen ostij participat, quàm Christus. Agnoscunt id passim Patres. Epiphanius in Ancorato. [Ostium (inquit) appellatur est Christus, quia per ipsum ingredimur.] At Christi proprium est, vt per eum subeamus ad Deum. Igitur eius quoque proprium est esse ostium nostrum. Idem ferunt illa S. Basilij lib. de Spiritu Sancto c. 8. [Ostium Christus dicitur, eo quod per rectitudinem præceptorum educit ad pias actiones ac rursus totò perducit in eas, eos qui per fidem ipsum ad cognitionis bonum confugerint. Vnde, per me, (inquit,) si quis introierit & ingredietur & egredietur, ac pascua inueniet.] Clarè & cum cæterorum exclusione ab huius attributi participio, S. Augustinus Tract. 47. in Ioan. [Tenete ergo quomodo Dominus Iesus Christus & ostium sit, & pastor; Ostium pandendo se, Pastor intrando per se. Et quidem fratres, quod Pastor est, dedit & membris suis: nam & Petrus Pastor & Paulus Pastor, & cæteri Apostoli Pastores, & boni Episcopi Pastores. Ostium verò nemo nostrum se dicit; hoc sibi ipse proprium tenuit.] Plenè & egregie id ipsum prosequitur idem S. Augustinus Tract. 45. & 46. in Ioan. quo posteriore loco, germanam huius denominationis Christi rationem esse ait, quod non sit quæ veniatur ad Patrem, nisi per Christum; qui pandendo se, exhibet perfectè rationem ostij. Obseruare enim hic ferè licet quod in valuis, non quidem passim apud Romanos vt ex Plutarchi Publicola intelligitur, sed passim apud Græcos seruatum, obseruat Helladius apud Photium Cod. 279. vt videlicet, non introitum (vt nunc assolet), sed aduersus extrinsecam partem, idest versus vicum & aream, pulsata primùm manu, vt audirent si qui ad fores essent, reterarentur; vnde etiam *fores* dictæ; & apud Terentium & Plautum, crepuisse fores leguntur priusquam quisquam domo exiret, ne in viam publicam pulsa fores, absque præuio crepitu, aliquem læderent, vt notat Muretus 2. Variæ. c. 17. Hoc ipsum in hoc diuino ostio deprehendere licet. Aperitur enim versùs nos, & seipsum humanitate obiectum obicit nobis, qui intraturi per ipsum sumus: sicque nobis se pandendo, aditum præbet ad Patrem.

789 Hanc vitæ ianuam, Arnobius lib. 2. post medium, egregie his verbis expressit, respondens

DDd

dens

dens Ethnico qui interrogat verēne praelu-
sa ipsi esset spes salutis nisi in Christum crederet;
& an non sufficeret, potestates quibus celi aditu
fuisse commissum fingebat antiquitas, con-
ciliare. [Partes salutis danda, conferendique ani-
mis quod tribui convenit. Necessariumque est
applicari, solus à Deo Patre iniunctum habet &
traditum, ita se habentibus semotis atque inte-
rioribus causis. Vt enim dii certi, certas apud vos
habent tutelas, licentias, potestates; neque eor-
um ab aliquo id quod eius non sit potestatis ac
licentiæ, postulatis: ita vnus Pontificis Christi
est; dare animis salutem, & Spiritum perpetui-
tatis apponere. Si enim Patrem creditis liberum,
dare posse vindemiam, medicinam non posse, si
Cererem fruges, si Æsculapium sanitatem, si
Neptunum aliud, aliud posse lunonem, Fortu-
nam, Mercurius, Vulcanum; rerum esse singulos
certarum ac singularum datores & hoc necesse à
nobis est vt debeatis accipere, à nullo animas
posse vim vitæ atque incolunitatis accipere, nisi
ab eo, quem Rex summus huic muneri officio-
que præfecit. Hanc omnipotens Imperator es-
se voluit salutis viam: hanc *vita* vt ita dixerim
ianuam. Per hunc solum est ingressus ad lucem,
neque aliis datum est, vel irepere, vel inuadere,
cæteris omnibus clausis atque inexpugnabili
que munitis. Licet ergo tu purus, & ab omni fue-
ris vitiarum contaminatione purgatus, concili-
aueris illas atque inflexeris potestates, ne ad
cælum redeunt vias claudant atque obsep-
iant transitum, ad immortalitatis accedere nullis po-
teris contentionibus præmium, nisi quod ip-
sam immortalitatem facit Christo attribuente,
perceperis; & veram fueris admissus ad vi-
tam.]

Pulchrè item *ostium* nomen Christo vindicat
sanctus Athanasius sub finem sermonis de cæ-
co à Natiuitate tractans illud Christi de seipso,
Ego sum ostium. [Rectè sanè (inquit) Domi-
nus semetipsum ostium appellauit, vt pie custo-
diens eos qui intus sunt & in fide; abigens
autem eos qui extra fideles observant, & in
præsentiam Patris sui Dominadij perducens.
Nemo enim cognoscit Patrem nisi per Filium.]
Et mox. [Ostium semetipsum Dominus appel-
lauit, & rectè quidem ostium: habet enim duos
postes, nouum & vetus Testamentum, limen
& superliminare, circumcisionem & præputium,
domum Ecclesiam.] Cur *ostium* se singulariter,
non *ostia* dixerit, causam ducit ex vnitæte Dei,
& fidei, ac baptisimi, quæ singula Christus nos
docuit.

Clemens denique Alex. in protrept. *non
multum ab initio adductis* Christi verbis Ioan.
11. [*Ego sum ostium*, quod discere oportet iis
qui voluerint Deum intelligere, vt nobis omnes
simul portas cælorum aperiat. Sunt enim ratio-
nales rationis seu verbi portæ, quæ aperiuntur
clauē fidei. Deum nemo nouit nisi Filius, & cui
Filius reuelauerit. Benè autem scio, quod qui
clauē portam tunc aperit reuelat postea ea
quæ sunt intus, & ostendit ea quæ nec prius po-
terant cognosci, nisi ab iis qui per Christum
ambulassent, per quem solum Deus cernitur.]

*Cur peculiariter Christus ostium omnium
causæ dicitur.*

Ex his liquet, nomen *ostij*, esse Christo pro-
prium, itavt sub ea peculiari ratione sub qua de
Christo dicitur, nulli putæ creaturæ sit conce-
dendum. Rationem porro ostij, Christo pecu-
liarem & propriam, assignare possumus dupli-
cem. Prior est, quod Christus sit causa memo-
ria bonorum quibus ad penetralia domus Dei,
& felicitatem aditur. Quam *ostij* notionem
ferunt pleraque loca, adducta ex Patribus. Non
placet autem hoc loco insillere diuinitati
ostio, quod tractando rationem capiti. Christo
conuenientem, fuscè ac plenè actum sit de ea
Christi efficientia morali, in qua dona nostra
supernaturalia.

790 Posterior denominationis *ostij* ratio,
inde petenda est, quod Christi explicita fides,
sit necessitate mediij requisita, ad primam & se-
cundam salutem. Sic enim Christus obiectiue
sumptus, pro vt per explicitam fidem attingitur
habet rationem *ostij* *omnium*. Scio Damascenum
Orat. pro defunctis, ante medium, exultare ad
salutis æternæ consecutionem, ante Christum
fuisse bonam & probam vitam ex nobis
naturæ lumine; proliis licet ignorato Christo
per fidem. Vnde pronunciat, plerique Philo-
sophorum, qui ex eo lumine quod per naturam
assulgebat, exegerant vitam innocentem, in in-
ferno quo per obitum deiecti erant, saluati
esse adueniente Christo. Nominatim verb
Sibyllas quæ tam multa de Augustissima Triade,
de Verbo Incarnato, de ipsa Deipara ex nomi-
ne præcognita, tradiderant; non dubitat quan-
uis diuinæ fidei exortes hinc excessissent, salu-
tem per Christum ad inferos delapsum, esse
consecutas. Hæc nunc non vacat fulius reuel-
lere. Neque enim querimus, an fides vera, & ad
salutem vitamque necessaria, possit per Chris-
tum obtineri in æterna vita. Quod quidpiam
Damascenus dixerit, certum est nunquam con-
tigisse nec euenire vniquam posse, iuxta leges
diuinæ providentiæ. Eatenus tamen sententiæ
nostræ concinit Damascenus, quatenus quos
admittit in æterna vitamque salutem adop-
tos, præuia fide, credidisse plenè in Christum
statuit; nec nisi hanc fidem concepissent, conse-
cuturos fuisse salutem.

Sed hæteamus in necessitate fidei, de Chris-
to, ante obitum cuiusque concipiendæ. Hoc
de omni ævo etiam Christum præcedente; af-
firmarunt graves Theologi, Becanos Tract.
de fide cap. 12 q. 2. Lorca 2. 2. disp. 21. num. 4.
& ex antiquis Alexander, Albertus, Bonauen-
tura, Scotus, Gabriel, quos hi adducunt. Quatenus
enim fateantur, non fuisse in omni ætate ne-
cessarium, salutis medium credere explicitè
Christum quatenus Deum, aut quatenus mor-
tuum pro nobis: tamen id affirmant de fide
qua quis credat diuinam providentiam, libera-
torem humani generis curaturam. Hæc enim
fides est explicita respectu liberatoris præcisè,
quamvis non sit nisi implicita & in consilio,
respectu diuinitatis & mortis Christi. Talem
Christi fidem fuisse medium omni ævo neces-
sarium ad vitamque salutem, probant Auctores
prædicti, auctoritate ac ratione. Nam Apostolus
in tota Epistola ad Romanos, aliud non con-
tendit,

tendit, quam ad iustificationem & gloriam, exigi fidem Christi: nec ad id vel naturam, vel legem sufficere. Et ad Galatas 3. ait Scripturam conclusisse omnia sub peccato, ut promissio ex fide Christi daretur credentibus. Agnouit ergo Apostolus, fidem Christi necessariam fuisse ad utramque salutem. Nihil autem minus potuit de Christo explicitè attingi, quam quod expressimus. Videtur idem voluisse: D. Augustinus Epi. 89. q. 3. & Epist. 157. & lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 7. & l. 19. contra Faustum c. 14. & 18. Cuius c. 47. & tract. 45. in Ioan. ad illud, *sed non audierunt eos oues*; quibus locis affirmat, veteres iustos eadem qua nos fide fuisse saluatos. Non fuisset autem eadem fides, nisi explicitè (tamen multo confusius,) in eadem particula obiecta: cecidisset fides veterum, in qua cadit fides nostra ex necessitate medij. Eorum verò obiectorum nostræ fidei vnum, esse Christum, mox dicam. Videndi in eandem sententiam S. Chrysostomus hom. 9. in illud 1. Corinth. 4. *habentes eandem spiritum fidei*; & Eusebius lib. 1. hist. c. 1. ubi ob hanc causam, tradit omnes veteres iustos, fuisse quoque Christianos. Putatur huic sententiæ contradicere Hugo Vict. l. 1. de sacram. part. 10. cap. 6. Laudatus circa hoc à S. Bernardo Epist. 77. sed fortassis exponi possunt de Christo prout redemptore per passionem & mortem: Qua ratione fatendum est, non fuisse necessarium necessitate medij, credere explicitè in Christum. Constat plus voluisse quoddam Scholasticos, ut S. Thomam 2. 2. q. 2. art. 7. 3. Medinam lib. 4. par. 4. Suarez disp. 12. de fide sect. 3. n. 17. sed alij quorum sententiam retuli, graues & antiqui Doctores, aduersantur; & Christi fidem explicitam, necessarium vtriusque salutis medium semper fuisse contendunt.

Christus ostium ouium, quia eius fides explicita, necessarium nunc vtriusque salutis medium.

791 Ut minimum verò concedendum est, post Christum, à tempore terminum sufficientis promulgationis Euangelij subsecuto, fidem Christi explicitam, non tantum ad modum propositum, sed prout est Deus & homo pro nobis passus ac mortuus, esse necessarium vtriusque salutis medium. Qua ratione, Christus est ostium ouium. Nam per Christum, cum prius pascua gregum essent gaudium onagrorum; & mundus non secus ac sylua auiæ lupis & feris scateret, homines positi sunt ut oues familias, ut concinnè his verbis cum psalmi 106. locum exposuit Gregorius Nyssenus tract. 1. in psalmos c. 8. verbis illis. [Posuit illos bonus Pastor loco brutorum *Oues familias*. Familiam nominat ceterum & collectionem rationum ad diuinum numen obtinendum conducentium, quem admodum & Paulus testatur, *Ex quo omnis familia, & in celo & in terra nominatur.*] Nimirum eadem Græca vox *οἰκία*. Quæ Ephes. 3. vertitur *paternitas*, in psalmo proposita vertitur *familia*: dicunturque *oues familias*, id est *oues familiae Dei*; sicut dicitur *pater familias*, iuxta priscam inflexionem. Igitur Christus factus est ostium ouium rationalium, quibus vitæ

Theoph. Raynandi de Attrib. Christi.

pascua sunt proposita, & virgam, ac bacculum consolantem prouidit optimus pastor. Factus inquam est Christus, harum ouium ostium, quatenus eius explicita fides prout redemptoris, post eius Euangelium sufficienter promulgatum, (hoc est annis circiter 40. post Christi Ascensionem, quod tempus necessarium fuit, ut Synagoga cum honore sepeletur,) Est necessarium medium tam ad iustificationem, quam ad gloriæ assecutionem: ut rectè asserit S. Thomas in 3. distinct. 25. quæst. 2. art. 2. Molina, prima parte quæst. 1. art. 1. d. 2. Sanchez 2. in Decalog. c. 2. num. 8. Valentia 2. 2. dist. 1. quæst. 2. puncto 4. Asserit, 3. Lorca 2. 2. sect. 1. dist. 22. memb. 2. Malderus ex multis 2. 2. quæst. 2. art. 7. prop. 8. Lorinus actor. 4. 8. & 10. Villucius tract. 2. c. 1. n. 25. & 28. & acerrimè A Costa l. 5. de procuranda Indorum salute c. 3. & 4.

Hæc sententia videtur planè vera. Sicque habemus optimum modum exponendi quomodo Christus sit ostium ouium. Nam qui negant necesse esse Christum explicitè credi ut redemptorem, etiam post Euangelij sufficientem promulgationem factam tempore quo diximus, (ut Corduba lib. 2. quæst. 5. prop. 2. ubi inuincibiliter ignorantem, eximit necessitate credendi explicitè Christum, etiam nunc;) non mihi videntur satis honorificè sentire de Christo, eiusque dignitate: nec satis implere sensum tot Scripturarum, quibus Christus denominatus est via ad patrem, ita ut nemo eò perueniat nisi per Christum: & qui in eo non credit, iam sit iudicatus. Et hæc sit vita æterna, cognoscere Deum, & quem ipse misit Iesum Christum. Eandem ob causam, Christus dictus est *finis legis ad salutem animi credenti*, & *fundamentum cuius superadificari oportet*. Apostolus quoque contestatus est, non esse aliud nomen sub cælo datum, in quo oporteat nos saluos fieri. Denique neminem absque Christi fide iustificari, habetur ad Galatas 2. sanxitque Tridentinum sess. 6. c. 7. quæ omnia plus haud dubiè ferunt, quam Christum promeruisse nobis gratiam & gloriam. Imo Apostoli & Apostolici viri, tantoperè conuicti sunt ut Christi notitiam per orbem vniuersum disseminarent, quod satis intelligerent, perituros esse qui eo necessario ad salutem medio destituerentur; & ipse Deus suam hac in parte mentem satis videtur expressisse, non modò in Scripturis prædictis, sed etiam per facta. Nam ut Gentiles quidam, (quos ex euentu patuit esse ex numero electorum,) notitiam Christi susceperent ante mortem, missis ad eos per extraordinarias & mirabiles occasiones conuicatoribus, id effecit. Nec semel sanctus Thomas agens de homine in syluis educato, scripsit, si geret quod in se est, nec per sua peccata obstrueret sibi cæleste lumen, fore ut Deus prouiso mirabiliter instructore, vel etiam emissio de cælis Angelo, eum doceret Christum, & obitam pro nobis ab eo mortem. Ita habet quæst. 14. de Veritate art. 11. ad 1. & in capite decimo ad Roman. lect. 5. & in 3. dist. 25. quæst. 2. articul. 1. quæstione 1. ad 2. Et ita aliquando factum; verèque submissum Angelum, qui hominem doceret Christi mysterium deficientibus qui id præstarent hominibus, tradit ex quodam Rogerio Franc. Picus Theorem. 1. de fid. Atqui si fides Christi Redemptoris esset tantum necessaria

DDd 2 necessi

necessitate præcepti, nihil fuisset opus tam extraordinaria providentia. Agnoscamus ergo dignum fuisse, ut cum Christus sit fundator Ecclesiae, & benigne dederit animam suam pro hominum salute, ideòque in eius gloriam, omnium electorum salus fuerit destinata & relata, non alia ratione concederetur ulli salus, siue secunda quæ est perfecta & consummata salus, siue prima cum qua est necessariò connexum ius ad secundam, nisi explicite in Christum redemptionem crederet: nulla quoad hoc inter primam & secundam salutem distinctio. Nam Canus Relectione de Sacram. in genere parte 2. & Castro l. 2. de lege poenali c. 14. qui hanc Christi fidem agnoscunt esse necessarium medium ad secundam salutem, non ad primam, meritò reiciuntur à Medina 4. par. n. c. 10. cum nulla quoad hoc, vel in Scripturis vel in Patribus sit distinctio duplicis illius salutis: quin potius de prima salute, siue de iustificatione frequentius id asseratur, & luculentius quàm de assuectione gloriae. Ac proinde si ad hanc, fides Christi passim explicita, est necessarium medium, æquè idem concedendum erit, respectu primæ gratiæ & multiplicationis.

792 De utraque salute, magis consequenter id inficiari sunt nonnulli Recentiores ut Soto l. 2. de Natura & Gratiâ, c. 11. & 12. Vega lib. 6. in Trid. cap. 19. & 20. Medina c. illo 10. Maldonatus Ioan. 5. num. 25. Torres Vasquez de more referens 2. 2. tom. 1. disp. 27. dub. 4. iuncto 7. Et ipsa idem docet Suares, disp. 12. de fide sess. 4. num. 10. Nam quamvis num. 18. addat, explicitam fidem Christi passim esse medium ad utramque salutem necessarium, vel in re, vel in voto; Tamen hoc non est aliquid discrepans à sententia negante fidem Christi explicitam esse medium necessarium ad salutem. Aliqua quidem dicuntur necessaria sub illa disunctione ut liquet de Baptismo; tamen propriè loquendo; quod est præcisè necessarium necessitate mediæ, omnes ligante & in supplebili, est solum votum. Deinde si ea distinctio necessitatis in re aut in voto haberet hic locum, fatendum esset quando fides Christi explicita adest, non esse necessariam fidem Dei ut habentis providentiam supernaturalem, quam fidem dicunt esse votum fidei explicite Christi passim. Itaque sicut posito reali Baptismo, nihil est necesse habere eius votum, hoc est perfectam dilectionem, aut contritionem; ita posita fide Christi explicita, non esset necesse credere Deum supernaturaliter providum, & remuneratorem, contra Apostoli editum. At hoc nemo admiserit. Igitur falsò asseritur, eam fidem esse votum explicite fidei Christi. Ac proinde idem est asserere, fidem Christi explicitam esse medium necessarium in re vel in voto; atque asserere, non esse reuera medium necessarium.

Enodata difficultas in contrarium.

Est pro ea sententia vnicum alicuius momenti argumentum, quod Suares sect. illa 4. à n. 11. latè virget; ex eo ductum, quod possit aliquis fidem Christi passim explicitam destitutus, habere fidem sufficientem, qua ex parte intellectus disponatur ad amandum perfectè Deum; quo amore iustus fiet, & si in eo statu excedat è vita, acquirat gloriam. Sanè Catechumenus dum divina edo-

cetur, prius accipit notitiam & fidem Dei veri, quàm Christi Dei & hominis, passim pro salute nostra. Nam hoc secundum, præsupponit primum, & exigit longior em moram. Quidni verò Deum sic cognitum, possit amare, fide ad amandum tantum bonum sollicitante? Amorem perfectum consequitur illud gratia; & gratia in morte (si tunc superueniat) retinetur, adiungitur gloria. Possè autem superuenire mortem, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco, priusquàm Catechumenus discat Christum passim in carnis nemo non videt. Non dissimile argumentum formari potest de parvulo baptizato, qui abducatur in locum in quo à nemine possit Christum edoceri puta in sylvam, vel de certam insulam, ubi in gratia adolescat; & antequàm illum de Christo loquentem audierit, moriatur. Saluabitur enim quia habet gratiam, & tamen deest Dei fides Christi explicita.

Hæc non me dimouent de sententia proposita. Neque enim difficile intellectu est, quomodo Catechumenus non adipiscatur gratiam absque fide explicita Christi passim. Vel enim negabitur ei auxilium sufficiens ad amandum Deum perfectè, priusquàm explicite in Christum credat: qua suppositione facta, neamque quidem perfectè poterit. Vel negabitur ei auxilium efficax, iuxta quam suppositionem ita poterit per auxilium sufficiens amare Deum, & iustificari ante cognitum explicite Redemptionem; ut tamen ipsa non sit amatus perfectè Deum, ante eam Christi notitiam explicitam: ac proinde neque de facto sit consecutus primam aut secundam salutem. Quod nobis satis est, qui tantum negamus, suppetere alicui absque Christo explicite cognito, potentiam primæ aut secundæ salutis obtinendæ, reducendam quandoque ad actum. Vtrumvis porò de Deo dicatur, non potest inferri Deum esse causam exitus hominis, si fortè ante explicitam illam de Christo fidem, fato concedat. Nam si habet auxilium sufficiens, stetit per hominem quominus agat cum eo auxilio & saluetur. Si verò ne sufficientem quidem gratiam haberet, par erit eius ratio, ac infantis in vtero materno morientis, cuius exitum non potest refutari in Deum qui providit generalia remedia, quæ per accidens est, quod puero quamvis absque ulla culpa eius, nequeant adiuvari. Non aliter igitur dicemus de Catechumeno prædicto. Alterutrum autem è duobus propositis, rationabiliter asseri, hoc est ante cognitum explicite Christum, negandum illi esse vel auxilium sufficiens, vel saltem efficax ad amandum; colligimus ex Scripturis propositis, quibus docemur, contritionem aut amorem perfectum, siue per eam qualemcumque supernaturalem dispositionem. Quæ cum reali susceptione Baptismi est necessaria ad comparandam gratiam, prouehatur ad salutem primam, & multo minus ad secundam, siue explicita eius notitia, per quem venerunt nobis omnibus tot bona, pariter cum illo. Quod porò de Catechumeno dictum est, æquè valet de infante Baptizato, qui in sylva adolescat. Nam vel saluabitur ad modum infantium, si non ita multo post exortum inbar visus rationis excedat è vita; vel si diutius proroget vitam, aut remouebit occasiones peccatorum, & illuminabitur etiam quoad Christum; vel cadet è statu gratiæ.

gratia, è quo non resurget nisi subleuante eo quem Pater constituit paxillum in loco fidei. Et sanè si hoc argumentum aliquid probaret, æquè efficeret, nullius obiecti explicitam fidem, esse ad salutem necessarium medium; ac ne Dei quidem notitiam, quod nemo admiserit.

Maneat igitur, hac quoque ratione Christum esse ostium ouium, quod ab omni æuo, absque explicita eius notitia in ratione liberatoris; eiusdem verò ut redemptoris, atque adeò ut Dei hominis explicita fide, à tempore promulgationis sufficienti Evangelij, (quod contigit aliquot omni post Christi Ascensionem), nemo gratia & multo minus gloria adyta capessat.

Veteres typi, Christi ostij ouium.

793. Typos nonnullos diuini huius ostij, exhibent quædam Scripturæ. Sic enim ostium illud per quod arcam subiuere quæcumque salua facta sunt tempore Noëti diluuij, Christum præsignauit autore Origene hom. 2. in Genes. & hom. 4. in Esaiam. Porta itè cæli, cuius Genes. 28. est mentio, typus est Christi. Ostium quoque tabernaculi testimonij, toties celebratum in Scripturis, nominatimque Exodi 29. & 35. & Leuit. 8. imago Christi fuit, iuxta Hieronymum in cap. 44. Ezech. & Augustinum in Psal. 126. Porta quæ respiciebat ad viam orientalem descripta ab Ezechiele, Christum referebat interprete S. Gregorio ibi hom. 15. Qui obiciens sibi quod Christus dicat se pastorem intrantem per ostium, proindeque non videatur posse quoque esse ostium, subdit ad hoc enodandum. [Quærendum nobis itaque est, qualiter & ipse intret, & per semetipsum intret. Dominus enim ac Redemptor noster, cum sancta Ecclesia quam redemit, secundum carnem vna substantia est. Paulo attestante, qui ait, *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia.* Huius capitis corpus Ecclesia est, & huius corporis caput Christus de quo suo capite exultat corpus, id est, sancta Ecclesia, cum per Psalmistam dicit. *Nunc autem exaltaui caput meum super inimicos meos.* Quia enim quandoque ipsa etiam exaltanda est, iam nunc caput suum super inimicos suos exaltatum gaudet in cælis. Cum ergo electi quique ad vitam perueniunt, quia membra eius per eum intrant ad eum, ipse per se intrat ad se. Ipse enim in suis membris est qui intrat, ipse caput ad quod intrantia membra perueniunt. Quod Ezechiel Propheta multipliciter innuat, qui virum dicit venisse ad portam, & quæ eadem porta sit, ostendit, dicens. *Quæ respiciebat ad viam Orientalem.* Ipse etenim nobis est via, qui dixit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Ipse etiam Orientalis via, de quæ Scriptum est: *Eccce vir, Oriens nomen eius.* Porta etgo viam Orientalem respicit, quæ illum signat, qui nobis iter ad ortum fecit luminis.] De porta sancta quæ anno Iubilæi aperitur, dictum est per vñum Clementi VI. ut refert qui tunc vivebat Albericus V. Iubilans. [Aperi ostium & ex eo ignem mitte, quo calefieri & illuminari valeat totus mundus.] At verissimè Christus porta lucis & calorì orbi vniuerso.

Ad hæc in Scripturis celebrata ostia, Celsum

ablegat Origenes lib. 6. cum portas varias ex Persarum Sapientum instituto à Cælo propositas, ad animarum in cælum subiectionem retulisset. [Ut in libro contra nos scripto Celsus variam eruditionem suam ostentaret, inserit quædam mysteria Persica, ubi dicit, Hæc subindicat & Persarum doctrina, & Militiæ sacrum eis gentile: est enim in eo duarum cæli reuolutionum significatio; tum eius quæ stella fixæ feruntur, tum eius quæ Planetæ, & animæ per eas transitus tale Symbolum. Scala est in altum aliis super alios portis surrecta, vñque summum octauæ portæ fornitem. Prima portarum est plumbea, secunda stannea, ahenea tertia, quarta ferrea, quinta mixti nominis, sexta argentea, septima aurea. Primam faciunt Saturni, plumbo notantes tarditatem eius sideris; secundam, Veneris, companantes ei stanni splendorem & molliem; tertiam Iouis aratan & solidam; quartam Mercurij, est enim laborum patiens & negotiator, æquè ac feruum celebratus hominibus; quintam Martis, propter mixturam inæqualem & variam; sextam Lunæ argenteam, septimam Solis auream coloribus suis referentes ea sydera.] Subdit mox Origenes. [Quod si quis velit non ab hac secta obferri sima, sed è libris, vel iudaicis qui tam in Synagogis quàm à Christianis leguntur, vel solorum Christianorum, petere rationes magis mysticæ introductionis animarum ad contemplandas res diuinas, legat finem Ezechiel Prophætæ, & eius vatis visiones: in quibus variæ portæ describuntur, per ænigmata indicantes diuinatum animarum ad meliora introitus. Legat item in Ioannis Apocalypsi de ciuitate Dei cælesti Hierusalem, & fundamentis eius atque portis.]

Christus ostium coronatum, viuum, rationale, angustum.

794. Est hoc ostium, pro antiquo vsu coronatum. Nemo enim est sanctorum, qui coronas suas non iaciat ad agni pedes, ut habet Apocalypsis. Hoc est qui demississimè & magna grati animi significatione non profiteatur, omnia sibi merita, omnesque coronas à Christo per quem ad vitam venit, esse profectas: sed omne ostij huius decus, internum dumtaxat est, nec carneis oculis patet. Quod enim Licurgum mādasse Laconibus ferunt, ut ostia domorum haberent non splendida, sed abiecta; sic enim foresperabat, ut puderet eos domum interioris ornare, per quæ illud ostium inferre petistrōmata & aulæ pretiosa, cultatque supellectilem: hoc ipsum diuina sapientia, in Christianæ domus ostio edixit.

Obseruat verò egregiè S. Cyrillus. Catech. 10. dici Christum ostium, non vt ait lignea appellatione, sed quia est ostium viuum, rationale, discernens ingredientiæ. Mirabilis planè ac insolens ostij ratio, quod & ipsum se aperiat, non ab alio aperiri necesse habet, & erga ingredientiæ discretionem adhibeat: hos nimirum repellens, admittens alios: vel hos admittens alacriter, quia optimè dispositos; alios segnè & ægrè, quia minùs aptos. Imo verò aperitur Christo ostium à nobis, ex quo per diuinam gratiam præuenti, & de cælo salubriter tacti, aperire ei voluntatem per consensum volumus

mus. Qua ratione ut optinere philosophatur Gillebertus serm. 44. in Cant. Christus dicitur ad ostium stare & pulsare, quamvis ipse sit ostium per quod est omnibus ingrediendum.

Non est hoc ostium, quale per quod infelices mortis oves, subeunt stabulum aeternae damnationis; amplum videlicet & latissime patens sed angustum, ac veluti foramen acus. *Intrate per angustam portam*, aiebat Christus Matth. 7. quia lata porta, & spatiosa via est, qua ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Hoc S. Chrysostomus Tomo 5. Græcol. serm. 10. frequentem audire se contestatus, negat posse se satis demereri studia mortalium, qui latam omnes portam subire, & lata via ingredi quærant: quasi eam ad mortem & exitum ducere non audissent. Ibidem serm. 9. exemplum hominis per latam portam ingressi, proponit Evangelicum epulonem. [Dixit illum qui quotidie purpura induebatur & bysso, qui epulabatur splendide, qui parasitos & adulatorem alebat, qui multum merum effundebat, qui quotidie ventrem saburabat, qui multis se deliciis ingurgitabat, & per latam portam ingressus, voluptate ac letitia mundana perpetuo fruebatur. Nam illi cuncta velut ex fonte affluebant, multum ministerium, immensa delicia, corporis sanitas, pecuniarum copia, delatus à multis honor assentatorum laudes; nihil interim erat, quod illi tristitiam afferret.] [Atque hic quidem per latam portam ingressus, per spatiosam viam incedebat, viam deliciarum; intemperantia, risus, voluptatis, hellationis, ebrietatis, pecuniarum copia, mollietis in vestimentis: ac diu totum vitæ huius tempus per spatiosam viam incedendo transegit, neque quicquam molestiarum expertus est, sed semper prospero ventorum afflatu delatus, utpote per spatiosam viam incedens, multa cum securitate pergebat. Nulquam scopuli, nulquam præcipitia, nulquam saxa sub vndis: latentia, nulquam naufragium, nulquam mutatio inæqualis, sed quasi per solidam & planam regionem iter habens, ita præsentis vitæ spatia decurrebat.]

795. Addit mox Christus, *quàm angusta porta, & arcta via est qua ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam*: Liquebat, de Christo sermonem esse. Cum enim Christus sit ostium & via ad vitam, nunc cum vitæ ostium dicitur angustum, non agitur de alio quàm de Christo ipso, per quem ob arctitudinem & non latè patentem aditum, subire non possunt qui camelo-rum instar, gibbero diuitiarum, aut honorum, secularium tument. Quam Christi parcemiam de camelo per acumen foramen aequè facile subituro, ac diuite, consecuturo salutem; Celsus apud Origenem lib. 6. ita suspicit, ut Christum velit eam à Platone suffuratum. Sed nugaci illo Babbalione dimisso, optime S. Augustinus serm. 54. de verbis Domini, hortatur ad ponendum tumorem, ut liceat per angustum hoc ostium subire. [Tumuerat, (inquit,) superbia, & in ipso tumore per angustum redire non poterat. Clamat ille qui factus est via; *Intrate per arctam portam*. Conatur ingredi, impedit tumor, & tanto magis perniciosè conatur, quanto magis impedit. Tumidum enim vexat angustia. Vexatus autem amplius tumebat. Amplius tumens, quando intrabit? Ergo detumescat si cupit ingredi. Vnde autem detumescat? Accipiat humilitatis

medicamentum, bibat contra tumorem poculum amarum, sed salubre poculum bibat humilitatis. Qui se arctat? Non finit moles, non magna sed tumida. Magnitudo enim soliditatem habet, tumor inflationem. Non sibi magnus, tumidus videatur. Detumescat ut magnus sit, ut certus & solidus. Non ista desideret, non de statu pomparum, rerum labentium contumeliarumque gloriatur. Audiat cum ipsum qui dixit, *Intrate per angustam portam dicentem, Ego sum via*. Quasi enim quæretur tumidus, quia intrabo? respondit. *Ego sum via*, per me intra. Non nisi per me ambules, ut intres per ianuam. Nam sicut dixit, *Ego sum via*: *Ego sum ianuam*. Quid quæris quæ redeas, quæ intres? Ne alibi erres, ipse tibi omnia factus est. Breuiter ergo dicit, Humilis esto. Audiamus hoc apertissime dicentem, ut videamus quæ sit via, quæ sit via, quod sit via, quod vis veni-re.]

Porta angustiam huius ostij, S. Bernardus, non modò in latum, sed etiam in altum, considerandam mandat. Est enim Christus, ostium valde depressum, per quod nemo possit ingredi, nisi demittat sese, & typhum abiciat. Gregorius Abbas egregie quoque id considerat, serm. 2. de Natiuitate Domini, his præter cetera. [Prorsus vos filij Adæ qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem per superbiam excreuistis; nisi conuersi fueritis & effecti sicut paruulus iste, non intrabitis ianuam celorum. Ego sum ostium regni, (ait paruulus iste,) nisi incuruetur altitudo vitæ, non eos admittet istius humilitas ianuæ. Idè nimirum *cognoscat sub capite interra multorum*, & qui elati accedunt, repulsi capite illius cadent retrorsum. Quid enim? Adhuc tu superbis terra & cinis, postquam Deus factus est humilis. Adhuc tu magnus es in oculis tuis, postquam Deus paruus factus est sub oculis tuis? Ille semetipsum exinanijit, ut penè videretur esse nihil, sine quo factum est nihil: & tu in immensum inflaris, & extolleris, existimans te aliquid esse, cum verè sis nihil? Ipse te seducis, clamat tibi Apostolus, cum & si aliquid esses, si magnum aliquid esses, tanto magis humilare te oportet. *Quanto*, (inquit sapiens) *magnum es, humilia te in omnibus*, & inuenies gratiam coram Deo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: qui & ipse tibi fieret exemplum, cum esset maximus omnium, factus est humilissimus & minimus omnium. Parum erat ei, ut fieret minor, Angelis conditione mortalis naturæ; nisi & hominibus minor fieret ætate imbecillis infantia. Videat igitur pius & humilis, & gloriatur; videat impius & superbus, & confundatur.] Et scilicet detumescat ac deprimatur, certus alioqui, se non subitum per hoc ostium, nec peruentum ad vitæ pascua.

Hæc est porta Domini, per quam intraturos iustos, prænuuciauerat Plaltes. Vinam intramus nos quoque per eam, caueamusque portas inferi, & portas mortis. [Portæ inferi, portæ mortis sunt. Portæ autem mortis, portæ ecclesiæ esse non possunt. Quæ autem sunt portæ mortis, hoc est inferi, nisi singula quæque peccata? Si fornicatus fueris, portas mortis ingresses es. Si fidem laferis, portas inferi penetrabis. Si peccatum mortale commiseris, portas mortis intras.]

intraſſi. Sed potens eſt Deus, qui exaltet te de portis mortis, vt annunties omnes laudes eius, in portis filie Sion. Sunt enim portæ Eccleſiæ, ſunt portæ caſtitatis, ſunt Portæ iuſtitie quas iuſtus intrare conſuevit, dicens: *Aperite mihi portas iuſtitie, & ingreſſus in eas conſitebor Domino.* Sed vt Patre mortis, Patre inferiſſima & porta iuſtitie, Dei porta eſt. *Hæc enim porta Domini, iuſti intrabunt per eam.* Et ideo fugæ pertinaciam delictorum, ne portæ tibi poſſint inferi præuale- re. Si enim dominatum fuerit peccatum in te, mortis porta preualuit: Fugæ ergo contentio- nes, diſſenſiones, ſtrepitus; tumultus que diſcor- diæ, ne portas mortis ingreſſus incuras.]

Fures & latrones, non per hoc Oſtium,

796 Non intrant per hoc oſtium, ſed ab eo ſunt repulſi, quotquot ante Chriſtum vene- runt; ideoque Chriſtus, fures illos & latrones pronunciat. Vbi difficultas in ſpeciem non le- uis ingeritur, qua ratione Chriſtus, omnes qui ante eum venerant, fures & latrones dixerit, cum conſtet veniſſe ante Chriſtum, quos fures & latrones dicere, nulla ratio patitur; Sanctos inquam Patriarchas, & Prophetas. Dicendum verò eſt, Chriſtum verbis illis *omnes quotquot venerunt*, non reſpexiſſe ad Sanctos veteris Te- ſtamenti. Hi quippe per Chriſtum ſunt ingreſſi ſed alios aliquos designare voluiſſe. Non vide- tur autem accommodatum ſcopo Chriſti, quod dixit Catharinus clauæ 2. Scripturarum pa. 205, nimirum egiſſe Chriſtum de omnibus anterioribus, quantum erat ex ipsis, quia catenus fures & raptores diuinæ gloriæ fuerant. Sed neque illud planè explet animum, quod habet Cle- mens Alexandrinus 1. Strom. Chriſtum ſcilicet designaſſe Græcos Scriptorum, Sacrorum expi- latores, quod diſſuſe idem Clemens, cum ibi, tum alibi proſequitur. Malim cum Iſidoro Pelu- ſiota lib. 3. epiſt. 119. affirmare, Chriſtum Domi- num egiſſe tantum de his qui venerant; hoc eſt de ſolis Pſeudoprophetis, non autem de ijs qui à Deo miſſi fuerant. Acutè Anaſtaſius Synaita lib. 1. Hexæm. *eos qui venerunt*, interpretatur Satanam & malos Angelos eius partiarios. Nulli enim ante Chriſtum venerunt, indidem vnde Chriſtus venit, hoc eſt de cælis, præter Satanam, & malos Angelos; quibus *furum & latronum* ap- pellatio aptiſſimè conuenit, vt rectè vidit S. Gre- gorius 14. Moral. c. 21. & bene quoque Grego- rius Nyſſenus hom. 5. in Cant. tractans vulpes paruas demolientes vineas. Nulli ſanè horum, intrant per Chriſtum oſtium.

Nec intellectu tenui ſi heretici, aut heretici.
ſuæ doctrina.

Sed neque per hoc oſtium intrant, quotquot inſtructi fide vera, & Chriſtum agnoſcentes, non conformant vitam ſuam ad eam notiā; & quod profeſſione affirmant, diſſidentur operi- bus. Etenim Chriſtus veritas, iuſtitia, & ſancti- tas. Vnde qui ab his virtutibus alieni ſunt, non intrant per oſtium; perſpexit hoc egregie Ori- genes lib. 4. in epiſt. ad Romanos *ſub initium expoſitionis capitis quinti*, ad illud, *acceſſum ha- beamus ad Deum per Ieſum Chriſtum*, quæ verba ſic gloſſat. [Quomodo acceſſum habemus ad gratiam per Dominum noſtrum Ieſum Chri-

ſtum, ipſe Saluator dicit, *Ego ſum oſtium, & Ne- mo venit ad Patrem niſi per me.* Per ipſum ergo quia oſtium eſt, acceſſum habemus ad gratiam. Sed videamus quale eſt oſtium, vt ſciamus qua- les eſſe debeant qui intrent per ipſum, & acceſ- ſum habeant ad gratiam. Illud oſtium veritas eſt, & per oſtium veritatis, non poſſunt introi- re mendaces. Et rurſum illud oſtium iuſtitia eſt, & per oſtium iuſtitie, non ingreditur iniuſti. Illud oſtium dicit; *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Per oſtium ergo humilitatis & manſuetudinis, nec iracundus ingreditur, nec ſu- perbus. Si quis itaque eſt qui ſecundū Apoſto- li Verbum, per Dominum noſtrum Ieſum Chri- ſtum, acceſſum vult habere in gratiam Domini, in qua Paulus, & ſi qui ſunt ſimiles, & ſtare ſe dicit, oportet eum ab his omnibus quæ ſuprà memorauimus, eſſe purgatum. Alioquin non pa- riatur hoc oſtium introire eos, præſequè ea quæ à ſe aliena ſunt, gerunt; ſed continuo clau- ditur, & tranſiſte per ſe non ſinit diſſimiles ſibi. Hoc nimirum eſt, quod illis quinque inſipienti- bus Virginibus accidit quæ quoniam oleum bonorum operum in vaſculis ſuis non college- runt, venientes poſt mortas, clauſum oſtium in- uenerunt. Nec enim poterant inſipientes ani- mæ, per oſtium introire ſapientiæ, & acceſſum habere in gratiam iſtam.]

797 Quod ſi Hereticos Chriſtus Domi- nus *portas inferi* appellauit, eo quod per illos miſerè decepti ſimplices, intrent ad Tartara vt exponit Exbertus ſerm. 10. aduerſus Catharos; eſt profeſſo quod omnes qui abduci ſe ad ſce- lera, impiorum perſuaſionibus ſinunt, agnoſcant has aquæ eſſe inferorum portas quas miſerè ſu- beunt loco oſtij vitæ; idque Sancti, in iudicio cum per Chriſtum portam vitæ ad cælos intra- bunt inimici exprobrabunt, vt egregie conſi- derat Zeno Veron. ſerm. in pſal. 126. *in fine* qui egregium, doctrinæ de Chriſto oſtio vſum ex- hibet, Verbis illis. [Meminiſſus in Pſalmo di- ctum; *Qui exaltat me de portis mortis, vt annun- tiem omnes eius laudes in portis filie Sion.* Hic quidem plures portæ ſunt, in quibus Propheta à portis mortis exaltatus omnes laudes Dei præ- dicat. Sed ſcimus eſſe portam vnā regiam, Do- minicam: cœleſtem, & qua dictum eſt, *Hoc eſt porta Domini, iuſti introibunt in eam.* Et cum non confundantur hic excuſſorum filij in porta inimicis ſunt loquentes; confundantur qui cum iuſtis non merebuntur intrare, exprobrantes il- lis impietatem in Deum, inobedientiam in præ- dicantes: infidelitatem in æterna promiſſa, odia in innocentes & in ipſa Eccleſia membra ſaui- tiam: ipſi confidentes, & nulla fidei ſinæ, ac reli- gionis ambiguitate trepidantes, ſed hos inimi- cos ſuos ab eius aditu, ingreſſuque prohiben- tes, qui ait; *Nemo vidit ad Patrem, niſi per me,* id eſt per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.]

Per hanc portam ſubeamus, declinantes por- tas mortis, quæ eadem ſunt cum portis inferi, vt intelligitur ex doctrina Arnobij iunioris in conſpectu cum Serapione lib. 1. [Portas inferi inquit] illas dicimus, quas Principes huius mundi diuitijs & paſſionibus, impietatibus, & criminibus, in introitum perpetuæ mortis po- ſuerūt; per quas ingreditur Idololatra demo- num templum, verum Deum non timentes, me- tuentes autem ſigmenta vaniſſima. Habent & alias portas per quas ingreditur ad doctri-

natæ

nam Hæreticorum, & Schismaticorum Sedes. Habent & alias portas, per quas stupratores, adulteri, fornicatores, plagiatores, fures, blasphemæ, omniūque ipsi criminum ingrediuntur. His principibus in adventu Domini nostri Iesu Christi, clamarum est à Spiritu Sancto, *Tollite portas, principes vestras.* Subdit de portis æternis per quas introibit Rex gloriæ cum omnibus suis. *Sunt portæ iustitiæ in auribus hominum posite, ad quas sermo fidei Catholice clamat, dicens, Aperite mihi portas iustitiæ. & ingressus in eas, confitebor Domino.* Ipse autem sermo, postquam introierit per aures in civitatem animæ, ostendit & portam vitæ æternæ, & dicit, *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Angustum sanè introitum in isto mundo habere, à Domino nostro Iesu Christo ostenditur, sed per viam eius angustissimam & arctam, ad latissimum vitæ æternæ introitum, asseritur qui ambulat, pervenire.]

CAPUT XII.

Christus primogenitus in multis fratribus.

HUNC Christi titulum, & Angelos & homines respicere, mox patebit, quamvis non nego, Christum esse spe. iali titulo *proximum nostrum*, iuxta illud Malachiæ ultimo, de Eliâ *converset cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres* Quod S. Augustinus 20. Civit. cap. 29. Legit in hunc modum, *converset cor Patris ad filium & cor hominis ad proximum suum.* Id est (inquit;) *[Converset Elias cor hominis ad proximum suum quid melius intelligitur quam cor hominis ad hominem Christum? Cum enim sit in forma Dei, Deus noster, formam servii accipiens, esse dignatus est, etiam proximus noster.]* Et lib. 1. de doctrina Christiana cap. 39. *ad finem.* Ipse Deus & Dominus noster, proximum se nostrum dici voluit. Nam & seipsum significat Dominus Iesus Christus, opitulatum esse semulivo iacenti in via, afflicto & relicto à latronibus. Et Propheta in oratione ait. *Sicut proximum, sicut fratrem nostrum, ita complacebam.]*

Et Angeli & homines, filij Dei ac Christi fratres, Salvo Deiparæ unico parvi.

798 Tamen fraternitas, fundata non in humanitate, sed in gratiæ societate, tanquam naturæ supernaturalis ab vno Patre Spiritum omnium Deo acceptæ non hominibus tantum, sed & Angelis cum Christo intercedit. Eaque propriè ratione, Christus frater noster est, quod diligenter probat S. Cyrillus lib. 2. Pentabibli. cap. 2. refellens Nestorium, qui Christum nobis duntaxat fratrem fuisse dixerat, ratione Eiusdem humanæ naturæ, in illo & in nobis. Sic autem post multa concludit S. Cyrillus. *[Non igitur hoc ipsum quod filio conformamur in sola intelligitur carnis humanitatisve natura,*

sed alio quoque modo: Idque nobis declarat Beatus Paulus cum dicit: Et sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem celestis. Terreni videlicet imaginem illam primi parentis Adam, celestis autem, illam Christi intelligens. Quamnam est igitur prior illa primi parentis imaginem? Facilitas illa ad peccandum, hoc ipsum quod morti corruptionique sumus obnoxij. Quæ rursus illa celestis nullo modo cedere vitis, non nosse delinquere, non esse morti & corruptioni subiectum, sanctificatio, iustitia, & his affinita atque similia. Sed hæc mea sententia possidere diuinæ convenit immortalitæ naturæ. Est enim illa peccato atque corruptione superior, sanctificatio item & iustitia. Ad hæc autem nos etiam attollit ipsum Dei Patris Verbum, dum lux diuinæ naturæ per Spiritum participes efficit. Habet ergo fratres sibi similes, & diuinæ suæ naturæ portantes imaginem, quod ad sanctificationis modum attinet. Sic namque Christus formatur in nobis, dum Spiritus sanctus nos ab humanis ad sua propria quodammodo transformat. Hæc ratione nos quoque Beatus Paulus est alloratus: Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu. Nihil ergo proflus è creatis rebus ad lux diuinitatis naturam filius transtulit, id enim est impossibile: sed imprimitur quodammodo in his qui diuinæ eius naturæ sunt facti participes, dum Spiritus sancti consortes fiunt illa spiritualis eius similitudo, & ineffabilis illa diuinitatis species in sanctorum virorum animis fulget.] Hinc vides fraternitatem cum Christo, esse hominibus & Angelis communem. Id quod etiam rectè assertit. Claudius Espencerus de genti. 26. in 2. Timoth. ex Nysseno lib. de vita Moysi, qui Angelum custodem, vocat nostrum Antonem, & fratrem natu maiorem. Ea igitur fraternitas, hoc loco explicanda est, exposita prærogatiua primogeniti in multis illis fratribus.

Sed alegandus in primis est, horribilis filius Heluidij apud S. Hieronymum, & aliorum quorundam Hæreticorum apud S. Athanasium, nuper edita Oratione de censu Augusti, qui vocem *primogeniti* Christo tributam, blasphemè traxerunt ad Virginis Deiparæ integritatem violandam; affirmantes, alios post Christum ex ea editos liberos communione respectu quorum Christus dicatur primogenitus. Sed exclamat S. Athanasius. *[Apagè abscondas nugas; Immaculatum penitus permansit Virgineum & gloriosum illud cœlium: non colutum fuit secundum illud cœlum: vas illud, quod Deum altissimum continuit, à nemine fuit prophanatum. Dominus primogenitus ex Virgine appellatur; & rectè quidem ita appellatur: non quod secundum aliquem eiusdem generis adsciverit: sed quod primogenitus, id est eximius & incomparabilis extiterit. Neque enim quia Beatus Paulus de æterna Domini naturalitate ex Patre dicit; Qui est primogenitus omni creaturæ; idcirco & fratrem naturalem Domino adscribit. Rursusque idem Paulus, ubi eundem Dominum primogenitum ex mortuis appellat, non etiam similem aliquem Domino introducit, qui inferos ita ut ipse conculcarit. Quapropter prudentes hæc audias, & pie credas: Dominus primogenitus est ex mortuis, & ex Patre, & ex Virgine, vt per omnia vnica filiationis*